DE

DIABETE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE
SIBI CONCEDANTUR
DIE XVI. M. FEBRUARII A. MDCCCXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
IOAN. CHRIST. GUIL. SIEGMAYER
NAUMBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:
A. STEPHANI, MED. DD.
F. MÜLLER, MED. DR.
E. GABLER, MED. DD.

BEROLINI.
FORMIS BRÜSCHCKIANIS,

VIRO

CLARISSIMO, AMPLISSIMO DOCTISSIMO

A. ZEUNE

PHILOSOPHIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBL. EXTRAORD. IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI, TYPHLOTROPHEI BEROLINENSIS DIRECTORI MERITISSIMO.

NEQUE MINUS

VIRO

CLARISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

J. BEGGEROW

MEDICINAE ET CHIRURGICAE DOCTORI, MEDICO LEGIONARIO NEC NON MEDICO PRIMARIO IN BORUSSORUM EXERCITU, SIGNO HONORIS IN PRIMA CLASSE UNIVERSALI ORNATO.

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Introductio.

Inter disciplinas medicas pathologia ac therapia non solum amplissimorum virorum operibus illustratae sunt, verum etiam iuveni, scriptiunculam edituro, maxime arrident, quippe quae, licet experientia observationibusque nitantur, minus tamen difficultatis, quam physiologia habent, cuius multa placita adhuc incerto instabilique fundamento superstructa sunt. Quo magis autem omnia fere pathologiae ac therapiae capita percensita descriptaque reperiuntur, eo magis mirari oportet, quosdam existere morbos, quorum vel nulla, vel exigua tantum mentio ab auctoribus, tam antiquioris quam recentioris aevi, facta est. Tales reperiri morbos, nemo inficias ibit, qui opera diversorum pathologorum atque therapeutarum variorum saeculorum inspexerit. Huc etiam morbus

referendus est, cuius descriptionem in hoc libello adgrediar, diabetes mellitus. Quid sit, quod plurimi praestantissimorum medicorum tum veterioris tum nostrae aetatis hunc morbum rarius pertractaverint, nescio, certo autem constat, pauciores tantum fusiorem eius expositionem nobis obtulisse eam fortasse ob causam, quod varia eius symptomata et causa proxima, quam dicunt, difficillimam admittunt interpretationem, nisi meras hypotheses venari velis. Quidquid potero, ad delineandam diabetae melliti imaginem, pro viribus conferam; quum autem permulta sint, quae iuvenem in scribendo opusculo versantem fugere soleant, te, candide lector, rogatum velim, ut non modo, quae recta aptaque tibi videantur, comprobes, sed etiam, quae vituperium mereantur, placido submittas arbitrio.

§. 1.

Quum diabeten ad eos morbos referendum esse dixerim, in quibus describendis medici minus operae posuerint, id modo innuere volui, aetiologiam eius medelamque nondum ita esse expositas, ut natura morbi penitus perspiciatur, quod multis morbis, minus gravitatis et atrocitatis habentibus, contigit, etenim diabeten non solum priscis medicis fuisse cognitum, verum etiam, prout illorum saeculorum eruditio patiebatur, dessriptum, historia eius abunde testatur. Intelligunt nimirum medici per diabeten morbum chronicum, cuius primarium symptoma in secretione et excretione urinae anomalae cernitur. Dictus est diabetes a graeco διαβαινω, i. e. cito transeo, quo nomine haud dubie notatus est morbus, quoniam brevibus intervallis magna lotii moles secedit. Prima diabetae descriptio, succincta quidem, sed evidens, apud Celsum 1) deprehenditur, quippe qui haec

1) De medicina Lib. IV. Cap. XX.

habet. „Cum urina super potionum modum etiam sine dolore profluens, maciem et periculum facit, si tenuis est, opus est exercitatione et frictione maximeque in sole, vel ad ignem etc." Galenus 1) morbum bis observavit, addit vero, potus haud mutatos per vias uriniferas secessisse, quod dubitationem movere potest, num diabetes fuerit verus. Fusius diabeten descripsit Aretaeus Cappadox 2), ast non his tantum medicis, verum etiam sectatoribus eorum modo una diabetae species cognita fuisse videtur, quippe qui principii saccharini, in lotio contenti, mentionem non faciunt. Ex morbi historia patet, Willisium 3) primum extitisse, qui indolem urinae saccharinam detegeret, symptomatibusque singularibus interponeret. Ab eo inde tempore omnes medici, de diabete disserentes, hoc symptoma respexerunt propriamque diabetae speciem ei superstruxerunt. Burserius 4) mellis quidem, in diabeticorum urina contenti, mentionem offert, at diabetae melliti nomine nondum utitur. „Hinc, inquit, in aliis aquea et cruda (urina) in aliis pallida, turbida, aut crassa, quandoque melle quasi tincta et simul dulcis, quando-

1) De locis affectis lib. VI. cap. III.
2) Editio Halleri lib. II. p. 101.
3) Pharmaceut. ration. Sect. IV. cap. III.
4) Instit. medic. pract. Vol. IV. Pars II. §. 202.

que alba ac inodora, interdum etiam violam redolens, emittitur." Praeter hos Rollo, Sauvages, Cullen, P. Frank aliique de diabetae indole dilucidanda bene promeruerunt.

§. 2.

Descriptiones symptomatologiae, quod e superioribus liquet, a veterioribus medicis simplicissimae exhibitae sunt, sin recentiorum scripta evolvimus, ingentem symptomatum catervam reperimus, quorum alia certa et constantia, alia incerta magisque accidentalia esse solent.

Quemadmodum nullus morbus chronicus repente irruit, sed prodromis vel manifestioribus vel obscurioribus incertioribusque nuntiatur, ita et diabetes suos habet antesignanos, qui quidem ad morbum venturum non semper directe possunt referri. Nonnulli, ut P. Frank 1), diabeten prodromis annuntiari, negant; alii, ut Reil 2), prodromos modo abesse, modo per menses antecedere, iudicant. Antesignani eam indolem habere consueverunt, ut digestionis instrumentorum labem portendant. Prodromis interponenda sunt: appetentia ciborum anomala, acescentia, vomitio acidorum, muci et nutrimentorum indigestorum, languor et macilentia, affectiones asthmaticae, tus-

---

1) Epitome lib. V. Pars I. §. 480.

2) Erkenntniss und Kur der Fieber. B. III. § 195.

sis sicca, impetigines scrofulosae, tumores glandularum lymphaticarum et labii superioris. Rollo1), qui de diabete disertissime exposuit, semper statum ventriculi morbosum praecedere asserit, priusquam morbus singularem indolem manifestet. Duo enarrat exempla, in quorum priori bulimia canina per semestre statum diabetae hecticum, imo per menses aliquot auctam urinae excretionem antecessit, edacitas iam plures ante annos exstitit; in altero usus ciborum potuumque diversissimorum et eae conditiones praecesserunt, ut facillime ventriculi labes induci posset, quae tantis capitis doloribus iuncta apparuit, ut urinae indoles longum per tempus minus accurate examinaretur. His elucescit, historiam symptomatum praecedentium verique morbi initii nondum satis dilucidatam esse, quoniam diabetes utplurimum febre hectica et macie apparentibus demum cognoscitur. Haud dubie prodromis hisce plus attentionis largiendum est, quam plerique medicorum iis hucusque tribuerunt, siquidem ex iis non modo actio adaucta vasorum resorbentium, sed etiam acidi liberi praesentia in organis digestioni praefectis concludi potest,

---

1) Abhandlung des Diabetes mellitus. 4tes Hauptst. 1ter Abschn.

quaê momenta ad illustrandam diabetae' indolem non parum conferre videntur. 1)

§. 3.

Morbo exquisitiori certa et constantia superveniunt symptomata. Huc prae omnibus pertinet edacitas et magna ciborum ingurgitatio citra satietatem 1); digestio assumtorum facile et sine moliminibus peragitur 2); plerumque haec edacitas et digestionis integritas fere ad mortem persistunt, quodsi evanescunt, vitae finis haud procul abesse solet. Raro aegroti cibos fastidiunt, interdum tamen edacitas, anorexia et dyspepsia per vices se excipere dicuntur. Recentiores omnes hoc symptoma constans esse dicunt, Burserius 3) eius mentionem non fecit, sed diabetae symptomatologiam brevibus descripsit. „Quocunque modo diabetes corripiat, alimentum corpori subtrahitur; hinc macies ingens, sitis, interdum febris hectica et interiorum partium siccitas consequuntur. Lumbi praeterea et coxae saepe dolent, viscera aestuant, saliva crebro exspuitur, nonnullis testes et pedes leviter intumescunt, imo interdum in peripneumo-

---

2) Haase Erkenntniss und Kur der chronisch. Krankh. B. 3. §. 241.

2) Rollo l. c.

3) Reil l. c.

4) l. c. §. 205.

niam, aut difficilem deglutitionem aliqui incidunt, qua demum finis malo imponitur et vitae." Cum fame sympathica quaedam symptomata iunguntur, ut oris siccitas, sputa perpetua spissa et tenacia, saporem nauseosum, dulciusculum, aut amaricantem habentia, lingua albida, marginibus rubro-nitentibus, gingivae rubicundae, tumidae, cephalalgia, dentes tanquam acidis hebetati et labefacti 1); pyrosis et sensationes ingratae circa ventriculum, excrementa utplurimum normalia, parca et satis cocta; raro diarrhoea, vel materiarum indigestarum excretio animadvertitur. 2)

§. 4.

Perinde ac fame, aegroti siti insatiabili excruciantur, quae ne maxima quidem potulentorum mole extinguitur, aegros somno saepe excutit, et nonnisi remediis pharmaceuticis ac diaeteticis, morbo convenientibus, sublevatur. Non semper tamen sitis continua torquet, interdum per horas vel dies aliquot cedit ac revertitur, alios tempore antemeridiano, alios pomeridiano, aut nocturno vehementius divexat. Os, quod siccum esse plerique contendunt, Reil utplurimum humidum reperiri tradit, hoc autem sitis intensitatem nec augeri nec diminui affirmat. Quibusdam tanta bi-

1) Rollo l. c.
2) Reil l. c.

bendi est libido, ut animi deliquium oriatur, si sitim explere nequeant 1). Quod attinet copiam potuum, alii plus, alii minus hauriunt. Knebel 2) exempla enarravit, quibus aegroti quadraginta, imo nonaginta potuum libras intra nychthaemerum ingurgitarent; etiam Haase 3) mentionem facit aegroti, qui libris triginta, vel quadraginta potulentorum quotidie indigeret. Nonnunquam sitim modicam exstitisse, vel prorsus defecisse, imo cum hydrophobia iunctam fuisse, Knebel 4) retulit. Quidquid demum sit, dubitandum non est, sitim ad signa diabetae constantia pertinere, etiamsi recte nonnulli moneant, eam quandoque deficere. Huic siti cutis arida et ardens, pulsus solito frequentior, renum dolores, excoriatio glandis penis et praeputii etc. adiuncta sunt. 5)

§. 5.

De prostrata cutis functione et morbosa digestionis organorum indole Dr. Wolff 6) haec habet. „Utrumque symptoma diabetae factores

1) Depassis bei Reil l. c.

2) Materialien zur theoret. u. pract. Heilkunde 1. B. 1800.

3) l. c.

4) l. c.

5) Rollo l. c.

6) Dr. Wolff in Horn's Archiv für medic. Erfahrungen 2. Bd. 3 Hft. p. 496.

exhibere videtur, exploretur autem necesse est, num unum ab altero pendeat, an utrumque ad gignendum morbum concurrere oporteat. Equidem secundam profiteor sententiam. In exemplis a me observatis transpiratio cutis directis iniuriis erat suppressa. Maximam enim partem fuerunt viri, venationis amantissimi, qui vel diutius in locis humidis et paludosis commorati, vel aestuantes madefacti erant; aut mulieres, in domiciliis humidis et insalubribus degentes: imo efficaciam causarum psychicarum in cutis organon diabetae saepius praecedere arbitror; hunc solum factorem morbo gignendo disparem esse, eo patet, quod neque frequentius, neque ubique diabetes occurrit. Hanc ob rem altero opus est factore, quem in intemperie digestionis organorum pono, cuius origo plerumque a vita luxuriosa, abusu potuum spirituosorum, imo etiam a victu vegetabili vitiato et dyspeptico, iam labefacta systematis digestivi functione, pendere solet. Haec intemperies utplurimum arthritide, calculis renalibus, haemorrhoidibus, hypochondria etc, sese manifestat, diabeten vero gignit, si cutis functio suppressa accedit."

§. 6.

Symptomatibus supra dictis corporis macies et virium languor superveniunt. Initium infirmitatis in organis motui dicatis, potissimum in

artubus inferioribus, se manifestat 1). Diabetici aegre pedibus insistunt ambulantque, genua tremiscunt, aliquanto post tanta evadit imbecillitas, ut aegroti prosternantur lectulumque non amplius relinquere valeant; huc febris hectica et leve delirium 2) accedit. Praeter irritabilitatis instrumenta etiam partes sexuales languent et coitum exercendi facultas viris adimitur, cuius rei exemplum memoratu dignum Reil 3) tradit. Mentis functiones diutissime integritate pollere dicuntur, modo fastidium motus et laboris observatur 4); sub morbi finem autem animus quoque hebescit: moestitia, intemperies hypochondriaca, vocis raucedo, apathia, sensuum defectio aliaque oriuntur. Inter haec somnus irrequietus, pavoribus, aut sitis atrocitate interceptus; in morbi acmaea phimosis, praeputii levis inflammatio ac tumor; inter praeputium et glandem substantia alba, caseosa, lymphatica ex urina praecipitatur. 5)

§. 7.

Constantissimum idemque characteristicum diabetae symptoma in anomala urinae excretae

---

1) Haase l. c. §. 244.
2) Rollo l. c.
3) l. c. §. 469.
4) Rollo l. c.
5) Haase l. c. §. 245.

copia et indole cernitur. Mictus utplurimum facilis, quandoque difficilis est 1); mingendi cupiditas subito incidit tantaque est, ut aegroti vix matulam arripiant; multis haec cupiditas protinus post potum haustum supervenit, plerumque maior noctu est, quam interdiu 2). Urinae copia diversa quidem est, sed potuum haustorum quantitatem ex more longe superat; Rollo 3) tantum hominis mentionem fecit, cuius urina potuum molem haud excederet. Ab altera autem parte exempla narrantur, quibus immensa urinae copia quotidie secederet. P. Frank puellam curavit, quae quotidie septem libras nutrimentorum fluidorum potuumque hauriret et triginta sex libras urinae mingeret. Praeterea Knebel 4), Ploucquet 5), Dreyssig 6), Fothergill 7) Zacutus Lusitanus 8) Dodonaeus 9), Morgagni 10) aliique observationes nobiscum communicaverunt, quibus urinae quantitatem mirum in modum exaugeri, confirmatur.

---

1) Knebel l. c.
2) Haase l. c.
3) l. c. p. 391-392.
4) l. c. p. 216-221 et p. 191, 194 et 205.
5) Initia bibl. medic. pr. Tom. II. p. 715.
6) Handbuch d. med. Diagnost. Bd. 2. p. 254-255.
7) Samml. auserl. Abhandl z. Gebrauch pract. Aerzte.
8) Praxis histor. Lib. II. C. 17. p. 246
9) Exempl. med. observat. C. 42. p. 74.
01) De sed. et caus. morbor. epist. 40. I.

§. 8.

Urinae deiectae qualitas nunquam non a norma recedit: color eius pallidus, modo pellucidus, modo serosus, lacteus, plerisque in casibus flavo viridiusculus deprehenditur. Odore peculiari urinoso caret, odorem spargit subdulcem, mellis diluti similem, saporem haud salsum, sed dulciusculum exhibet. Principium urinae saccharinum, primum Willisio 1) detectum, analysi chemica extra omnem dubitationis aleam positum est. Willis nempe urinam diabeticam saccharum habere putavit, ut argumentum desumeret, quo theoriam de humorum fermentatione probaret. Post Willisium Morton 2) lotii odorem saporemque mellagineum observavit eumque ab abundantia nutrimentorum, per has vias secedentium, derivavit; Burserius 3) etiam mellis mentionem facit, etenim urina, inquit, quandoque melle quasi tincta et simul dulcis. De examinanda diabeticorum urina inprimi Darwin 4), Cruickshank 5), Fourcroy 6), Home 7) et Dobson 8) bene promeruerunt. Urina calori

1) Pharmaceut. rat. sect. 4. C. 3. p. 202.
2) Phthisiologia Lib. I. C. 8. p. 22.
3) l. c. §. 202.
4) Sämmtliche auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte. 6 Bd.
5) Rollo l. c. p. 516. sqq. et p. 531 sqq.
6) Medicine eclairee etc. I. p. 149.
7) Klinische Versuche p. 343.
8) London medical observations Vol. V. p. 203.

submissa in fermentationem acidam, vinosam, transit multumque gasis carbonici evolvitur. In medio vase, cui inest lotium, nubecula alba apparet, quae postea fundum petit et sedimentum exhibet. Urina nihil salis ammoniaci continet, neque enim adiecto acido vitrioli, nec ammonio mutatur; porro lotium materia fibrosa et principio extractivo resinoso caret, etenim haud spiritu vini, sed aqua communi solvitur, quibus indoles eius gummosa et saccharina luculenter patet. Crystalli etiam e diabeticorum urina possunt obtineri, quae saccharo admodum similes sunt. Copia principii saccharini tanta est, ut urinae libra fere unciam extracti saccharini offerat. Urina diabeticorum post diem vicesimum quartum demum putrescit; residuum, evaporatione impetratum, si aduritur, saccharum ustum redolet, spiritum vini flavo tingit colore; hydrargyrum nitricum adiectum sedimentum album praestat. Unciae triginta sex evaporatae circiter quatuor, vel sex residui uncias relinquunt 1)

§. 9.

Divisiones diabetae multifariae ab auctoribus traditae sunt. Burserius 2), Ettmuellerum secu-

---

1) Dreyssig l. c. p. 260.
2) l. c. §. 203.

tus, tres diabetae species distinguit: nimirnm diabeten verum, nothum, sive spurium et chylosum. Verum dicit citam transmissionem potulentorum, parum aut nihil mutatorum, per urinam; spurium, in quo plus urinae redditur, quam est potulentorum assumta quantitas; tertium, in quo chylus cum urina, aut urinae loco mingitur. Odoardus Baryus 1) discernit diabeten in quatuor species: primam confert cum diarrhoea et dicit chylum in ea immutatum per renes excerni; secundam repetit e tubulis renalibus dilatatis ex compressione eorum aliquot ob calculos, unde reliqui dilatentur oportet; tertiam a sanguinis colliquatione ex vitiata bilis natura; quarta est nervosa et convulsiva.

§. 10.

Apud recentiores primo divisionem diabetae in verum, spurium et decipientem 2) invenimus. Diabetes verus in mellitum et insipidum dispescitur; in illo lotium principio saccharino imbutum est, in hoc caret. Dissentiunt vero auctores, num diabetes insipidus exsistat, nec ne; Reil 3) de eo dubitare videtur; Cullen 4) a diabete diversum censet; P. Frank 5) eum defendit et alimenta se-

1) Vid. Burserius l. c. §. 203. not *)
2) P. Frank l. c. pag. 43.
3) l. c. §. 197.
4) Kurzer Innbegriff der Nosologie p. 327.
5) l. c. p. 57.

cedentia in diabete insipido maiorem animalisationem experta esse dicit, quam in mellito; Dobson 1) diabeten insipidum a mellito nihil discrepare, sed unum in alterum abire contendit, Haase 2) diabeten insipidum pro vero quidem diabete habet eoque effici tradit, quod modo unum morbi momentum, nempe dynamicum, seu exaltata renum secretio, non alterum momentum, sive chemicum, adsit. Diabetes spurius larga uninae excretio dicitur, quae potuum ingestorum pondus non superat, nihil principii saccharini offert corporisque maciem non inducit. Diabeten decipientem P. Frank nuncupat, si parum uninae, sed indolis mellitae, redditur et aeger macie conficitur. Reil 3) cui divisioni ad stipuletur, non dirimit, sed mentionem modo facit divisionum ab aliis propositarum, in diabeten verum et spurium, in protopathicum et symptomaticum, in idiopathicum et consensualem.

§. 11.

Creuzwieser 4) et Sprengel 5) diabeten distinguunt spasticum et torpidum, attamen Sprengel

---

1) l. c. Vol. V. p. 303 sqq.
2) l. c. §. 249.
3) l. c. § 199.
4) Dissert. de cognoscendo et curando diabete Halae 1974.
5) Handb. der Pathologie. 3r Theil, 166.

hanc divisionem serius reliquisse videtur. His suffragatur Dreyssig 1), qui priori speciei indolem typhi, alteri indolem paralysis adscribit; illi enim irritabilitatem adauctam et energiam suppressam vasorum urinam secernentium, huic non modo irritabilitatem, sed etiam energiam vasorum diminutam subesse putat. In diabete typho maxima, inquit, temperies vasorum lotium secernentium, verum exigua diminutio energiae eorum, in diabete paralysi autem irritabilitas minus suppressa, quam energia locum habere videtur. Utraque species non modo singularibus symptomatibus insigniri, sed etiam medelam propriam, indoli verae consentaneam, requirere dicitur, quod Sprengel, Creuzwieser et Dreyssig ll. cc. satis prolixe exposuerunt.

§. 12.

Quod diabetae decursum attinet, scire oportet, morbum plerumque chronicum esse, interdumque tantas exhibere remissiones, ut aegrotum in stadio refectionis versari putes. Exempla, quibus tam acutus exstitit diabetes, ut intra hebdomades aliquot aegros interficeret, Dobson enarravit. Licet diabetes inter initia simplex esse soleat, utplurimum tamen procedente tempore cum aliis

1) l. c. p. 264 spq.

morbis complicatur, v. c. cum febre synochica, 1) quod alii dubitant 2); cum febre hectica, quae sub finem incursat et vel a diabete, vel ab aegrotatione visceris cuiusdam, v. c. pulmonum, pendet. Porro cum oedematibus pedum, vel hydrope anasarca, ascite, vel hydrothorace, quae vitia vel coeffectus diabetae, vel effectus eius, i. e. infirmitatis per eum inductae, existimantur.

Haud raro cum pulmonum morbis, ut ulceribus et blennorrhoea consociatur, quod Reil duobus exemplis sibi comprobari dicit. Quandoque etiam haemorrhoides cum diabete complicantur 3); denique morbi nervorum diversi generis accedunt; aegri morositate, sollicitudine et hypochondriasi torquentur; paulo ante mortem animi deliquia, convulsiones, deliria nocturna, anaesthesia, sensuum hebescentia, paralysis periodica tubi intestinalis, aut viarum uriniferarum etc. superveniunt.

§. 13.

Tametsi diabetes exquisitus vix et ne vix quidem cum alio morbo potest confundi, nonnullae tamen affectiones dantur, quae primo obtuitu diabetae haud dissimiles apparent ideoque medicum minus exercitatum decipere queunt. Huc

1) Reil l. c. p. 198.
2) Dreyssig l. c. p. 263.
3) Knebel l. c. p. 304.

referuntur; I. enuresis, cujus diagnosin Dreyssig 1) optime exposuit. In enuresi lotii indoles et copia nihil anomali offerunt; nec fames, nec sitis modum excedunt; enuresis saepe morbum exhibet localem, ut reliquum corpus integrum sit; enuresi laborantes summam senectutem assequi possunt, perpetuum urinae stillicidium locum habet; enuresis denique multo frequentior est diabete. II. Lienteria urinalis, cujus indoles in eo cernitur, quod potus hausti nihil mutati per vias uriniferas secedunt. Multi recentiorum medicorum, ut Reil 2), hunc morbum existere dubitant, quamvis enim Knebel 3) plura collegit exempla, quibus haec lienteria veterioribus observata traditur, tamen incertum est, num fides iis sit habenda; sin existit, morbus est specificus, qui a diabete partim celeri potuum haud mutatorum dejectione, partim principii saccharini defectu discrepat. III. Coeliaca urinalis, seu chyluria, in qua chylus paulo post digestionem cum urina secedere traditur. Et hic morbus in dubium vocatur: P. Frank nunquam eum observavit, sed modo exemplum diabetae lactei enarrat 4), quem pro vero diabete ha-

1) l. c. p. 285.
2) l. c. §. 196.
3) l. c. p. 128 — 139.
4) P. Frank l. c. p. 40 — 41.

bet. Stöeller 1) aegrum observavit, cujus urina lacti similis, substantiam odoris expertem in vasis fundo dejecit et ab aeris aditu semota, per octo dies putredini restitit; aeger post aliquod tempus valetudinem recuperavit. Vero autem simile est, urinam mucosam, aut purulentam, ulceribus, catarrho vesicae, phthisi renali, aliisve morbis exortam, pro chylo habitam esse. IV. Dipsacus, sive morbus dipsadis 2), a morsu serpentis, qui dipsas dicitur 3). Serpens viperae similis est et hic morbus vocatur διψάνων, puod sitim infert 4). At dipsacus non est morbus, sed symptoma plurium morborum; aegri multum bibunt, ergo multum mingunt, urina autem normalis est.

§. 14.

Veniendum est ad causam diabetae proximam, i. e. processum morbosum internum, quo omnia diabetae essentialia symptomata, velut anomala urinae copia atque indoles, fames, sitis, extincta veneris cupiditas etc. dilucidari possint, quem explicatu difficillimum esse, nemo ignorabit. Nonnulli, v. c. Burserius, 5) non eandem causam proximam semper subesse putabant; modo, inquit,

1) Beobachtungen und Erfahrungen. Gotha 1777.
2) Burserius l, c. §. 204.
3) Aetius tetrabibl. 4. Sermon. I. C. 22
4) Paul. Aegineta 1. 3.
5) l. c. §. 204.

hepatis viscerumque chylificationi dicatorum debilitas, modo sanguinis colliquatio serosa, modo renum laxitas et atonia, modo ex his plura simul concurrunt. Si verum est, quod nemo dubitat, symptomata diabetae characteristica ceteris imparibus semper eadem reperiri, facile elucescit, causam morbi proximam non eo modo discrepare, quo Burserius tradit. Reil 1) enumeratis variis hypothesibus, de diabetae natura prolatis, suam ipsius sententiam de causa proxima non interponit, sed modo famen sitimque insatiabilem illustrare conatur; etenim ab adaucta urinae secretione utrumque phaenomenon derivat; illam nempe secretionem immodicam largioris materiae desiderium excitare, idque animae per coenaesthesin sub specie famis sitisque repraesentari arbitratur.

§. 15.

Praetermissis eorum sententiis, qui diabetae causam proximam in vitiis abdominis, imprimis hepatis obstructionibus 2), vel in abnormi renum irritatione et spasmo, aut atonia et dilatatione vasorum renalium 3), vel in pravitate virium

---

1) l. c. §. 203

2) Gantz. Dissert. de diabete. Jen. 1770.

3) R. A. Vogel praelect. acad. de cognosc. et curand. corp. human. affect. p. 367.

corporis assimilatricum 1), vel in motu retrogrado lymphae et chyli per vasa ad renes 2), vel in similibus ponunt, eas theorias breviter recensebo, quae maiori probabilitatis specie reliquis praestant. Kausch 3), cui plures recentiores, praecipue Dr. Wolff 4), suffragantur, diabetae causam in abnormi cutis functione vasorumque eius absorbentium, sive in resorptione adaucta cum transpiratione diminuta collocat. Huic opinioni eatenus adstipulandum est, quatenus alio modo explicari nequit, cur aegri plus humoris per urinam reddant, quam per os hauserint. Ceteroquin autem ex ea non patet, qualis processus dynamicus et chemicus et cui loco insideat. Home 5) ingentem urinae secretionem a colliquatione partium solidarum deducit, at haec moles interdum, demtis partibus ingestis, tanta esse traditur, ut brevi tempore totius corporis pondus superet; fortasse additamentum in cute et pulmonibus gignitur, ut corpus radicale, aër oxygenium suppeditet 6).

§. 16.

Singularem hypothesin P. Frank 7) obtulit,

---

1) Cullen l. c. B. 3. p. 576.
2) Darwin l. c. B. 6. p. 273.
3) Med. chirurg. Erfahr. in Briefen. p. 299 sqq.
4) Horns Archiv l. c.
5) Clinische Versuche p. 343 sqq.
6) Reil l. c. §. 203.
7) l. c. p. 54 — 59.

quippe qui analogiam diabetae cum rabie canina evincere studuit. Proprium nempe contagium subesse putat, quod aequis conditionibus in corpore evolvatur irritamentoque corpori illato immodicam systematis lymphatici actionem proferat. Ex hoc processu anomalo omnia diabetae symptomata derivat: famen sitimque, siccitatem oris et faucium, transitum citum chyli rudioris e tubo intestinali ad sanguinem, resorptionem adauctam vasorum lymphaticorum cutis, pulmonum, omnium corporis cavitatum et humorum versus renes affluxum. Resorptione chyli rudioris accelerata principium urinae saccharinum, nimiaque ejus excretione corporis macilentiam oriri dicit. Etiamsi hanc Frankii hypothesin multa continere largiamur, quae aliquam probabilitatis speciem prae se gerant, in eo certe errasse videtur, quod proprium venenum diabetae adscripsit, num enim tali opus est contagio, ad functionem systematis lymphatici praeter modum intendendam? Imo, si adaucta harum vasorum actio partes primarias agit in constituendo diabete, nonne idem morbus saepius incursaret, si lymphatici systematis actio, aliis incitata iniuriis, exorbitet.

§. 17.

Audiamus, quae Creuzwieser, cuius supra mentionem fecimus, proponat. Diabetes spasticus, inquit, incitabilitatem renum immodice exaltatam

supponit, diabetes, ut phthisis renum lymphatica, phthisi pulmonum pituitosae est simillimus. Quidquid renes violentius incitat, nutritionem infringit, quippe omne alimentum renibus allicitur. Hoc modo sapor saccharinus urinae, particulis nutritiis impraegnatae, nec non febris hectica et macies explicatur. Cum his serosa sanguinis indoles, ex irritatione organi singularis et defectu nutritionis profecta, existit; eodem ex fonte intumescentiae glandularum meseraicarum, hepatis et pancreatis, in diabeticis corporibus repertae, profluunt. Diabetes torpidus vasorum renalium laxitate nititur, quae cum humorun afflluxum alliciat, eo magis hoc praestat, quo maius incitamentum organon laxum offendit. Argumenti instar blennorrhoeam glandularum Meibomii et hydropem allegat, in quibus humorum affluxus ad partes infirmissimas certissime locum habeat. Consumtionem denique partium solidarum auctamque cutis resorptionem efficere iudicat, ut urinae pondus ciborum et potuum ingestorum molem excedat.

§. 18.

Rollo 1), qui, ut saepius commonefecimus, de exponendo diabete optime promeruit, causam eius proximam in ventriculi actione adaucta et immodica succi gastrici depravati copia collocat, cuius

---

1) l. c. p. 455 sqq.

effectus acescentia et voracitas sint. Directam, ait, sequelam huiusce corruptelae in principii saccharini evolutione ex alimentis cerni; assimilationem animalem labare, principium sacharinum chyli integro corpore mutari, in diabete autem nullam mutationem experiri et tanquam substantiam alienam excerni; post haec vitia fabricae diversi generis oriri, quae in mortuorum corporibus reperiantur et impediant, quo minus aegri in integrum restituantur; fieri quidem posse, ut saccharum in ventriculo paretur et in diabete maior eius copia e nutrimentis vegetabilibus secernatur, quam sano corpore. Auctam urinae missionem ab exaltata ventriculi actione, cum renibus communicata, deducit; nec pulmonum, nec cutis absorptioni partes aliquas tribuit, quum urinae copiam nunquam non ad potuum haustorum quantitatem respondere, sibi persuasum habeat 1).

§. 19.

Adiiciam denique theoriam, quam Haase 2) propriam sibi vindicat, quae tamen illi, cuius auctor Rollo dictus est, fere ad unguem congruit. Primum, inquit, momentum morbi diabetici in hyperoxydatione succi gastrici et enterici, utplurimum obstructionibus viscerum abdominalium

---

1) l. c. p. 460.
2) l. c. §. 255.

exorta, cernitur. Primus effectus dynamicus illius succi hyperoxydati is est, ut resorptio vasorum lymphaticorum systematis digestivi et cutis acceleretur, quo ex fonte sitis, fames et immodicum urinae pondus profluunt; eadem hyperoxydatio renibus incitamentum suppeditat et perinde ac vina acida recentia, cerevisia alba etc. urinae secretionem intendit, quod eo facilius evenit, quo magis renum incitabilitas aliis causis e. gr. calculis, aut vita luxuriosa, aut diureticorum abusu exaltata est. Ad hunc usque terminum diabeten mere dynamicum arbitratur limitemque inter insipidum ac mellitum esse putat. Procedente autem morbo chemicum supervenit momentum: diabetes complicatur, dynamicus evadit atque chemicus morbus. Principium saccharinum praevalente acido succi gastrici et enterici e nutrimentis vegetabilibus inter digestionem eodem modo evolvitur, quo extra corpus ex amylo, acidis subacto. Hinc saccharum iam secretum in sanguine, sero, saliva aliisque excretis pariter deprehenditur, ac in ictero omnes particulae colorem flavum et saporem amarum obtinent. Urina facultate pollet, principium saccharinum solvendi, excipiendi et egerendi; ultimum morbi symptoma, nempe corporis macilentia, satis abunde perpetua resorptione sine instauratione sufficiente explicatur. Hanc theoriam cum experientia intime conspirare,

Haase affirmat, siquidem remedia desoxydantia validiora efficacissimum praestent auxilium, quippe quibus simul insideat vis, exaltatam incitabilitatem nervorum abdominalium et nimiam actionem diminuendi.

§. 20.

Veniendum est ad causas diabetae remotas, quas alii in disponentes et occasionales dividunt, alii disponentes negant 1). Haase 2) dispositionem haereditariam quandoque subesse, exemplis probari dicit, quae Morton 3), Blumenbach 4) Rondelet 5), P. Frank 6) et Jsenflamm 7) retulerunt. Rollo 8) dispositionem ad diabeten existere concedit, quanquam, an haereditaria sit, non exposuit. Sexum potiorem saepius diabete laborare, quam sequiorem, nemo negat; Reil praecipue homines ordinum superiorum, Haase vero inferiorum diabete corripi tradunt, verosimillimum autem est, illos ac hos promiscue affici, dum causae idoneae praecesserint. Obstructiones ac indurationes visce-

---

1) l. c. §. 275.
3) l. c. Lib. I. C. 8.
4) Medic. Biblioth. B. 2. p. 126.
5) Meth. curand. morb. C. 42.
6) l.c. p. 42.
7) Practisch. Versuche über die Eingew.
8) l. c. p. 452.

rum abdominalium, in quibus Burserius, Meadus aliique diabetae causam proximam collocaverunt, momentis praedisponentibus, si qua sunt, adnumerandas esse, nullam dubitationem recipere videtur. Denique vivendi rationem, ut abusum nutrimentorum farinaceorum et vegetabilium corpus ad diabeten opportunius reddere, quibusdam auctoribus persuasum est.

§. 21.

Causae remotae, licet magnus earum numerus a scriptoribus refertur, minime tam evidentes sunt, ut iis plane acquiescere possis. Burserius potus aquosos, calidos, copia nimia et diu assumtos vini abusum, nimium aquae thermalis potum, inprimis valide urinam cientis, diuretica validiora, mercurialium et resolventium usum diuturnum, venena acria et colliquantia, vitam nimis exercitatam, aut otiosam nimis, veneris abusum, humidi aeris constitutiones, refrigerationes corporis, renum morbos, ut abscessus et calculos, Sydenham metastases arthriticas, Whytt magnam nervorum irritationem, ut in dentitione, Baume primarum viarum saburras, digestionem vitiatam similiaque referunt. His adduntur: abusus emmenagogorum 1) morbi suppressi, ut fluor albus 2),

---

1) Riedlin lin. med. annal. IV. p. 948.

2) Ballonius consil. B. I. C. 56.

catarrhus 1), morbi cutis, febres, violenta animi pathemata, irritabilitas nimia corporis, praesertim ad renes conversa, vermes intestinales 2), dysenteria 3), nimia obesitas et expansio oedematosa telae cellulosae 4). Reil 5) causarum occasionalium tres potissimum classes perhibet: omnia debilitantia, alimenta diuretica, morbos organicos et dynamicos praegressos. Haase 6) plura, ait, momenta occasionalia conspirare debere, ut fiat diabetes, nimirum dynamica et chemica; hanc ob causam diabeten rarius exoriri tradit.

§. 22.

Diabetae prognosin pessimam augurandam esse, vix ullus recentiorum diffitebitur, quanquam priores medici varias tulerunt sententias. Burserius 7) levior, inquit, morbi gradus saepe curabilis est; si iam invaluerit, vix remediis cedit, infirmis praesertim corporibus, cachecticis, senibus, venere fractis superveniens; periculosus summopere est in febribus ardentibus, aut malignis ante crisin contingens. Plurimos diabete laborantes interire

---

1) Lister exercitat. de diabet. aegr. 7.
2) Creuzwieser l. c. p. 29. §. 15.
3) Bonnet medic. septentr. L. III. sect. 27.
4) Fernel pathol. Lib. III. C. 13.
5) l. c. §. 201.
6) l. c. §, 258
7) l. c. §. 206.

videmus, attamen causa partim in eo esse videtur, quod morbus inter exordia raro cognoscitur, partim quod aegroti auxilium medici petere consuerunt, si morbus iam inveteratus et exquisitus est. Plures medicorum inclytorum, ut Cullen 1), ne unum quidem ad sanitatem perduxerunt. P. Frank 2) duos aegrotos a se sanatos esse dicit, quorum unus autem morbo recidivo perierit. Ne omnibus quidem exemplis, quae referuntur, fides est habenda, interdum enim diabetes insipidus pro mellito venditabatur, interdum sanatio, quae videbatur, modo intermissio erat et aegroti aliquanto post, inscio medico, exstinguebantur. Senes peiorem exhibent praedictionem, iunioribus; quo magis corpus spirituosorum abusu et venere fractum, quo largior urinae excretio, quo uberius saccharum, eo funestius praesagium. Diabetes pertinax morbos topicos, ut vitia fabricae excitat, quibus medela praegravatur, imo prohibetur. Salus speranda est, si cutis madescit, fames et sitis inexpugnabilis desinit, corporis pondus augetur, urinae copia decrescit, sapor eius odorque dulcis cedit, color flavidus, odor urinosus et sedimentum latericium apparet factaque evaporatione nihil sacchari remanet 3).

---

1) l. c. Tom. IV. p. 91.
2) l. c. p. 60.
3) Reil l. c. §. 202.

§. 23.

Facile est intellectu, stabilem medendi methodum nondum esse divulgatam, nam quo magis auctorum opiniones de diabetae indole discrepant, eo maior remediorum caterva commendata ac in usum vocata est; constat autem, eo difficilius esse, optima quaeque cognoscere atque eligere, quo plura nobis offerantur. Medendi indicationes igitur difficillime proponi possunt, quum et proxima causa et remotae nondum ita dilucidatae sint, ut certis remediis impugnari queant. Rollo 1), qui me iudice diabetae indolem optime enucleavit, has medendi indicationes commendat: I. principii saccharini conformatio, aut evolutio prohibeatur, II. ventriculi actio morbose adaucta compescatur et in integrum restituatur.

Ut his indicationibus satisfiat, aeger nutrimenta animalia hauriat omnibusque vegetabilibus abstineat; si morbus recens est, protinus animalia omnia, sin inveteratus, paulatim exhibeantur; cibi saepius porrigantur, ut fames satietur. Pro potu lac et aqua, mentha piperita temperata, qua vitellum ovorum solutum sit, propinetur; insimul solutio Kali sulphurati ex aqua fervente hauriatur; si quid ad firmandum ventriculum requiratur, spiritus frumenti cum aqua, aut spiritus

1) l. c. p. 477. sqq.

oryzae cum lacte convenit. Indusia lanea nudo circumdentur corpori et cutis quovis mane lardo perfricetur. Quodsi inter haec principium urinae saccharinum evanescit, veruntamen edacitas, magna urinae copia et eximia principii animalis ubertas in ea perstat, hydrosulphur ammoniacale, cum opio et antimonialibus sumtum, prodesse dicitur, donec actio ventriculi adaucta, horum phaenomenorum fons, desinat. Hoc contigisse, eo cognoscitur, quod fames decrescit, gingivae et lingua rubore inflammatorio destituuntur, urina parcior secedit, colorem flavum, odorem urinosum recipit et evaporata solitam residui quantitatem exhibet. His apparentibus, major corporis exercitatio aegroto imperetur, paulatim panis eaque vegetabilia offerantur, quae nec multum sacchari continent, nec facile acescunt, v. c. lactuca, brassica oleracea botrytis etc. quibus amara adjungantur. His neglectis victuque animali continuato, tormina, faeces et anima foetentes, sapor salsus, transpiratio oleosa, lotium saturatum, languor, anorexia et alia scorbuti imminentis signa accedunt. Urina sedulo exploretur victusque animalis statim repetatur, si nova diabetae vestigia in conspectum prodeunt. Ceteroquin hanc medendi methodum summa cum tenacitate persequi oportet, donec corporis dispositio sit extincta. Neque minus Rollo herbam Nicotianae tabaci et digitalis purpureae,

tincturam antimonii tartarisati cum pari tincturae thebaicae portione commendat, ut abnormis ventriculi incitabilitas coerceatur. Si alvus laxanda, sit, oleum ricini, aut pilulas, e sapone et aloe confectas, expedire asserit.

§. 24.

Quanquam Rollo turbatae cutis functioni nullas partes ad constituendum diabeten adscribit, diffiteri tamen nequimus, transpirationem anomalam esse respiciendam, sive palmarium morbi momentum exhibeat, sive per antagonismum modo operetur. Ad hoc consequendum frictiones et balnea vaporosa administrentur 1), postea vapores sulphuroso-acidi Galesii in usum vocentur. Denique exaltata renum functio demulceatur, quod remediis partim directis, partim antagonisticis, tam internis, quam externis, obtinetur 2). Inter directa interna opium fere omnibus aliis palmam praeripit, quod Darwin 3) cum magnesia, Rollo 4) cum tinctura antimonii tartarisata exhibuit. Huc etiam digitalis purpurea 4), valeriana et asa foetida numeranda sunt, quibus adhibitis P. Frank 6) im-

---

1) Wolff l. c. p. 590.
2) Haase l. c. §. 262.
3) l. c. B. 6. p. 288
4) l. c. p. 406. sqq.
5) v. Hoven Handb. d. pr. Heilk. Thl. 2. p. 360.
6) l. c. p. 64.

modicam urinae secretionem diminuit. Haase 1) remedia azotica et hydrogenata, ut tincturam kalinam, Kali sulphuratum et potissimum hydrosulphur ammonicale adiungit. Per antagonismum antimonialia et emetica 2), inprimis doses refractae ipecacuanhae, cuprum ammoniacale et extractum Nicotianae nimiam renum actionem cohibere dicuntur. P. Frank 3) mercurii usum suadet, ut secretio vicaria, v. c. salivatio, excitetur, cuius remedii efficaciam Scott 4) et J. Frank 5) laudant. Quod externa attinet remedia, Rollo indusia et vestimenta lanea nudo corpori circumdari iubet, ut supra monuimus, idem vesicatoria regioni lumbali applicuit, ad ulcera artificialia efficienda; alii 6) eadem vesicatoria non regioni lumbali, sed sacrali superimponi iubent.

---

1) l. c. 262.
2) Rollo l. c.
3) l. c. p. 67.
4) Hufeland Journ. d. pract. Heilk. B. 4. St. 2.
5) Heilart in d. klin. Lehranst. zu Pavia.
6) P. Frank l. c. p. 67.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Joannes Christianus Guilelmus Siegmayer, natus sum Naumburgi, Saxoniae civitate, die vicesimo quinto M. Aprilis A. MDCCXCVIII, patre Carolo Augusto, matre Rebecca, de gente Heinecke, quos fata benigna adhuc incolumes mihi servarunt. Primis litterarum elementis imbutus sum Theisae, pago haud procul a Zizia urbe dissito, unde gymnasium Merseburgense adii ibique per triennium litteris vacavi. Die decimo sexto M. Junii A. MDCCCXVI in numerum alumnorum academiae militaris medico-chirurgicae Berolinensis Decano B. Mursinna acceptus, his praelectionibus interfui: Illustr. Knape de osteologia, splanchnologia, formulis medicis conscribendis et medicina forensi, Illustr. Rudolphi de anatomia universa et physiologia disserentes audivi; iidem Viri Illustr. cadavera incidendi arte me imbuerunt. Illustr. Link historiam naturalem, geographiam physicam et botanicen, Cell, Turte physicem, chemiam et pharmaciam. Cel. Osann materiam medicam, Cel. Fr. Hufeland semioticen, pathologiam tam generalem quam specialem me docuerunt. De ossibus fractis luxatisque, nec non de arte obstetricia Cel. Kluge, de fasciis im-

ponendis B. Mursinna, de akiurgia et chirurgia speciali Ill. Rust, de akiurgia, chirurgia generali et speciali Ill. de Graefe, de arte obstetricia theoretica practicaque et exercitationibus in machina Ill. de Siebold praeceptores mihi extiterunt. Scholis clinicis medicis quam chirurgicis et obstetriciis Ill. W. Hufeland, Cel. Neumann, Ill. de Graefe, Ill. Rust, Ill. de Siebold et Cel. Kluge benevole me admisserunt. Interposito quinquennio per annum et semestre in charitatis nosocomio Berolinensi, post haec in legione quarta equitum hastatorum per quadriennium chirurgi inferioris munere functus et impetrata missione M. Majo A. MDCCCXXVI Berolinum reversus sum.

Tentamine et examine rigoroso rite absolutis spero sore, ut dissertatione hac defensa, summi in medicina et chirurgia honores rita in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Animalia inter et plantas certus limes constitui nequit.

II.

Sectio caesarea synchondrotomiae praeponenda est.

III.

Arsenicum febribus intermittentibus optime medetur.